



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Capvt I. De humana superbia & misericordia diuina, in Alfonso rege
ostensa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

I.
CAPVT I.

DE HVMANA SVPERBIA, ET MISERICORDIA DIVINA, IN ALFONSO REGE OSTENSA.

PARS PRIMA.

HISTORIAM, alio loco & fine, à me strictius datam, placet hinc diductius narrare: ut, quæ *bullat as nugas*, præcipuum humani generis vitium, velut in scena, graphicè exhibet spectandas, eadem quoque remedium exhibeat curando morbo, quem repræsentat. Historiæ scriptor tantam fidem meretur, quantum habet auctoritatem. Est enim Episcopus Palentinus, *Rodericus Santius* dictus, de Areualo, qui prius quàm mitra insigniretur, fuit Pauli II. Pontificis Romæ, in Castro S. Angeli, *Castellanus*; cuius libros, è Tolerantæ Ecclesiæ Bibliotheca, nominatus Soc. nostræ scriptor, Andreas Scottus, emendatos edidit. Auctoritas historico etiam inde est, quòd eius volumina ab alijs grauibus & eruditis viris passim laudata inueniantur. Hic ergo Rodericus Santius Parte 4. Hist. Hispan. c. 1. & seqq. ad gloriosos & cicadis plenos, eosque, qui sibi videntur digito cælum attingere, moderandos homines, eiusmodi exemplum posteritati consignauit.

Anno Seruatoris 1252. successit, in Hispania, regnis Castellæ & Legionis, patri suo Ferdinando III. filius Alfonsus X. huius nominis; stirpe regiâ, patriâ laude, sceptri successione, alijsque rebus multis felix; quin & Violantæ, Iacobi regis Aragoniæ heroi- cæ filia, matrimonio beatus. Quanquam, ut nihil, in hac vita, *ex omni est parte beatum*, ita & huic coniugio Deus salem aspersit. Nam, *qui facit mirabilia magna*, inter ea etiam hoc sæpe facit, ut pauper, qui nocturno diurnoque sudore vix se ipsum & vxorem, suam potest sustentare, liberis abundet; ac opulentus prole careat; atque ita vnus, sine hæreditate habeat hæredes; alter sine hærede possideat hæreditatem; ne hæc necessariò coniungi, sed vtraque donum esse de cælo agnoscamus. Quare etiam Alfonsus sceptrum in manu, coronam in capite habuit, hæredem non habuit, quem maximè desiderauit; faciliusque vno è regnis, quàm filio, caruisset.

I.
Lib. 2. de Iudicijs Dei. c. 4.
§. 2.
HISTORIÆ
AVTHORITAS,

II.
ALFONSI
FORTVNA.

Psal. 135. 41

A

Quid

Gen. 21. 2.

1. Reg. 1. 20.

Quid ergo illi faciendum fuit? Cogitandum erat, non omnia omnibus dari: differri aliquando mortalium vota, ut ipsâ expectatione fiant gratiora: etiam Abrahamo, in senectute, filium obtigisse: Samuelem, à sterili, precibus obtentum esse: denique multis filios aut filias, à quibus solatia expectabant, in magni luctus argumentum transiisse. Hæc atque alia talia Alfonsus cogitare debuisset. At, quia magna sæpe est, in magnis principibus impatientia, & desideria non rarò, in consilijs, plus valent, quàm ratio; idcirco, Alfonsus magnâ erga Deum diffidentiâ, ad humana animum subsidia, qualia demum cuncta ea essent, conuertit; & haud diu moratus, contra ius & fas, de alia vxore ducendâ statuit; ita publico interesse bono ratus: quasi vllum sit magis publicum, quàm Dei bonum; aut vbi hominis est vtilitas, ibi Numinis honor, cultus & præcepta possint dissimulari. Erat regi Daciæ filia *Christiana* dicta, virgo, inter præcipuas formas, admiranda. Eam, per oratores, petijt. Et (quid non impetrant reges?) etiam impetrauit. Sed ab homine, nam Deus intercessit, qui illam alteri destinauit. Dum enim illa magnâ procerum nobiliûmque pompâ deducitur, dum ingenti comitatu Hispalim venit, interea, diuinâ Prouidentiâ, *Violanta* vera Alfonsi vxor filiam illi Beringuelam peperit; seque ipsam à sterilitatis suspicione absoluit. Mirifici igitur extemplo motus atque sermones vbique extiterunt. Nam alij dicebant, Deum pro *Violanta* causâ steterisse; alij *Christiana* nouæ sponsæ ignominiam egregiam aiebant irrogatam esse, quæ regni spe delusa eò pedem, vnde attulerat, instar corui hiantis referre cogeretur: quidam mentem altiùs mittentes dicebant, diuinis consilijs virginis honori subuentum esse, ut quæ non regina, sed concubina *Alfonsi* habenda fuisset: plerique subitum *Alfonsi* factum, & leuitatem regiæ maiestati haud conuenientem accusabant. Qui, hinc noua nupta veniente, inde titulo nouarum nuptiarum cadente, velut inter sacrum & saxum consistens, scùm rerum suarum exitum non videret, seque ob tam præceptis consilium, à Numine, per infamiam & populi cachinnos, meritò puniri agnosceret; illam inconsiderato negotio honestam coronidem adiecit, ut, in magna occasione, venustissimæ Virginis ad se perductæ pudicitiam non sollicitaret, omnique curâ in id incumberet, ut turpis error honorifico mantelo contegeretur.

Hanc

Hanc, in Alfonso, temperantiam magnus castitatis remunerator Deus, multis beneficijs ornauit. 1. Fratrem eius Philippum, natu minorem, pensionis fortasse magis, vt fit, quàm religionis causâ, in nescio quam Abbatiam Vallisoleti, & Canonica- tum Hispali promotum, excitauit, vt mallet in matrimonio esse, castus, quàm, inter quotidianas illecebras, extra coniugium, pe- riclitari. Itaque, repentè ac nemine opinante, deposito Clerici ha- bitu, *Christianam* duxit, à rege Alfonso (ita virginis pariter atque suo honori consultum esse gaudente) magnificè regièque ditatus, & dotatus. 2. Fastidium, quod erga improlem *Violantam* conceperat, in magnum amorem vertit. 3. Etiam causas amoris cœ- lum suppeditauit. Alfonso enim *Violanta* complures filios, filias- que genuit; qui magnis postea matrimonijs claruerunt. Siquidem Ferdinando primogenito eius *Blanca S. Ludouici* Franciæ regis fi- lia in matrimonium data est, alijs aliæ. 4. In *Blancæ* nuptijs, magnum liberalitatis ac munificentiæ nomen comparauit. Victua- lia in foro exponebantur, sine custode, vt quisque, quibus vellet, frueretur, numularij publicè aderant, qui omnibus forensibus, quas pete- bant, pecunias dabant. Et erant alij deputati, vt, si quem male vestitum viderent, illico vestimentis iam factis tegerent, ne differendo negare vi- derentur. Nullus præterea, vel maximus, vel minimus in donatus abiuit. Quin Imperatorem Constantinopolitanum, eodem tem- pore, à Soldano Babylonæ captum, decem millibus marcarum ar- genti redemit, tantò plus famæ adeptus, quantò minùs videba- tur tenax pecuniæ. 5. In filijs quoque ipsis fuit celebris; Ioanne, præsertim secundo genito, qui, contra Mauros, fortissimè felicif- simèque bella gessit. 6. Ipse Alfonso, ab ineunte ætate, otij fu- gitans, amansque litterarum, ita in scientijs profecit, vt potius ipse Doctores docere posset, quàm timere eos, aut rogare deberet. Et quia excelsi erat animi, non inter epulas, non in ludis, non cum canibus & morionibus tempus perdebat, sed mentem ad grandia appellens, id Hispanis fuit, quod Atheniensibus Solon, quod La- cedæmonijs Lycurgus, quod Romanis Numa Pompilius, quod Moyses Israelitis. Leges optimas vndique conquisiuit, selegit, summaque moderatione & æquitatis ratione in septem libros, quos *Partitas* vocant, concinnauit: in quibus saluberrima statuta, non

III.
ALFONSI
GRATIA ET
GLORIA.

ad lites duntaxat humanas pro æquitate decidendas, sed etiam ad diuinum cultum piè dirigendum sanctèque augendum continentur: de quo diuino cultu promouendo parum curæ est, in illis curijs, quæ Plutum pluris quàm Deum faciunt, & æraria magis, quàm templa venerantur. 7. Etiam bellis inclytus fuit Alfonsus, siquidem regnum Murtiæ, à Carthagine nouâ, vsque ad Chinchilla, à Sarracenis recuperauit. Sarracenos vicit; multaque armis præclara opera fecit: ob quæ adèd longè latèque fama eius celebrata est, vt quidam Germaniæ Imperijque Electores eum suffragijs suis eligerent in Romanum Imperatorem, eaque propter ex Hispaniâ vsque, accerferent, ad hanc quoque summam coronam capessendam.

IV.
ALFONSI
SUPERBIA.
Claud. 4. Ho-
nor.

1. Paralip. 29.

S. Aug. lib.
de conflictu
vitiatorum.

S Greg. lib.
14. Mor. c. 18.

Huc vsque laudes & decora potissimum *Alfonsi* audiuitis. Sed, ô *Superi*, quàm sæpe *Inquinat egregios adiuncta superbia mores?* & quoties magnæ laudes, in magna vituperia degenerarunt! vtq; ex optimo vino fit pessima vappa, ita è summis virtutibus occasio potest sumi maximorum vitiorum! Multa regna, multa nomina, multi fortunati successus *Alfonsum* superbum fecerunt; qui cum in prosperitate sua dicere debuisset, *Tua est, Domine, magnificentia, & potestas, & gloria*; gigantea quadam arrogantia, sibi ipse Suffenus fuit. *Superbia dicit* (verba sunt D. Augustini) *Ecce multis, immò pænè omnibus melior es, verbo, scientia, diuitijs, honoribus, & cunctis, qua carnalibus, vel spiritualibus suppetunt charismatibus. Cunctos ergo despicere, cunctis temetipsum superiorem attende.* Itaque, inter tot dotes ac prosperitates, Alfonsus quoque, vt plurimi, non tam sancto, quàm elato animo fuit, atque nimius propria excellentiæ æstimator, ac laudum humanarum sititor. 1. Ob ingenij præstantiam, insolenti quadam sui sensus singularitate confisus, magis sibi placens, quàm Peleus in machæra, consilia aliorum contemnebat. 2. Non consilia tantum, verum etiam seipsum omniâque sua opera magni faciebat, alijsque, cum quibus ea contulit, præ sanè arroganter, etiâ melioribus, anteferebat. Nimirum verè dixit S. Gregorius, *Quisquis superbiæ tyrannidem in se captinâ mente susceperit, hoc primum damnnum patitur, quòd, clauso cordis oculo, iudicij æquitatem perdit. Nam cuncta, qua ab alijs bene geruntur displicent, & sola ei, qua ipse ve prauè egit, placent. Semper aliena opera despicit, semper miratur, qua ipse facit, immò & quæ non facit.* Nam, teste S. Thoma,
arrogans

arrogans est, qui sibi attribuit, quod non habet. Qui enim animo se supra se eleuat, faciliè etiam verbis maiora iactat, quàm re præstat. Talis Alazon etiam Alfonso fuit. 3. Hinc suæ voluntati obsequens, vix in alia consilia adduci potuit, quin erga eos, qui aliquid sensui eius contrarium sentiebant, aut eius iudicijs aduersabantur, subiniquum, amarum, & vindictas acerbè cogitantem animum gessit; quem supercilio, rugosâ fronte, ac toto vultu, quin verbis, minisque prodidit. *Qua maior superbia, ait S. Bernardus, quàm ut vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei?* Prætulit Alfonso. 4. Qua de causâ, qui ei à consilijs erant, verum non libenter audienti, elingues facti sunt, & tacere, quàm offendere maluerunt. Pauci enim sunt Michæ, qui regibus æquè malum ac bonum audent prophetare, prout cæli terræque Dominus, lex, veritas, & æquitas suggerit; aut qui Dauidem imitantes dicere possint: *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebam.* 5. Immo, quia eum laudibus ac præconijs suis oppido delectari, & insipientium more plausibus capi videbant, aderant plurimi, qui illi *Euge, Euge* canebant, omnia illius in maius extollentes, & cum applausu ac palpo recensentes; his arridebat, quanquam epiphyllidas & ampullas meras loquerentur. 6. Quàm verè dictum est, *Melius est, à sapiente corripiri, quàm stultorum adulatione decipi?* Nam dum laudatur peccator in desiderijs anima sua, & iniquus benedicitur, velut incendium, inanis gloriæ cupiditas crescit, & facienda putat, quæ audit laudata. 7. Alfonso igitur, & suoapte ingenio ad vanitatem factus, & linguis insuper adulantium mendacijsque parasitorum excæcatus, cœpit non solum è rectè factis famam captare, sed etiam de ijs, quæ reprehensione digna erant, glorianter loqui, *Psellissare*, suusque ipse & testis & præco esse; nihil nisi de proprijs rebus dicere, nihil velle aliud, quàm suas laudes audire: & cum deesset quod iactaret, etiam fingere. At vel Tullio iudice, *deforme est de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.* Audiant hîc igitur peruersi focij simulati amici, & blandiloqui familiares, quàm meritò ab Isaia dicatur; *Væ, qui iustificatis impium:* nam adeo dementant isti eos, quos de vanitate laudant, ut præ vertigine mentis non videant ampliùs, quid laude, quid

S. Thom. 2. 2.
q. 112. 2. 1. ex
D. Greg. l. 27.
Mor. c. 7.

S. Bern. ser. 2.
de resurrect.

3. Reg. 22. 3.

Psal. 118.

Eccles. 7. 6.

Psal. 9. 21.

Cic. lib. 1.
Offic.

Isa. 5. 23.

vituperio dignum; sed de rebus stultissimis, de infania, de flagitijs
 ipsis laudem caprent; nec sentiant, inanias suas ab audientibus ri-
 deri: sequæ ea, cum spe placendi, propalare, quæ si inimicissimi di-
 cerent, ad necem postularentur. Qui maximè indigent, rarissimè
 confitentur; quia erubescunt, suas sceditates Confessario narrare;
 & quidem illi, cui nefas est, quidquam eorum, quæ in confessione
 audiuit, reuelare. At in circulis, in mensis, in conuenticulis, de-
 cem præsentibus, eadem non verentur, cum copiosa amplificatio-
 ne, de se jactare; vbi auditores habent, scurrilitatem eorum, per
 totam ciuitatem euulgaturos. Cur ibi non, sed ante Confessarium
 duntaxat, erubescunt? Nempe quia Confessarius ea vituperat; isti
 autem risu laudant; & quamuis animo damnent, vultu tamen at-
 que adulatione videntur approbare. *Va, qui iustificatis impium:* nam
 adulatione vestra impietatem eius animatis. Nihil suspectius est
 adulatione; & tamen multis nihil charius, nihil pretiosius. Quod
 genus hominum, in res honestas, & cum primis necessarias mini-
 mum sumens impendij, ad vana & turpia prodigum notabat Cra-
 tes, cuius hæc ephemeris celebratur: *Ponito coco minas decem, me-
 dico drachmam:* ADVLATORI talenta decem; consiliario fumum; scorto
 talentum, Philosopho triobolum. Nimirum merces maxima erat adu-
 latori, qui maximè nocebat. Ita fatetur ipse sibi D. Augustinus ac-
 cidisse: *Præceps ibam,* inquit, *tanta cacitate, vt inter coætaneos meos,*
puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos iactantes flagitia sua,
& tantò gloriantes magis, quantò magis turpes essent. & libebat malum
facere, non solùm libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum
est vituperatione, nisi vitium? Ego, ne vituperarer, vitiosior fiebam. Et,
vbi non suberat, quo admissio aquarer perditis, fingebam me fecisse, quod
non feceram; ne viderer abiectior, quò eram innocetior, & ne vilior ha-
berer, quò eram castior. Hoc vitium, cum inter multos vigeat, ma-
 ximè tamen regnat inter milites. Apud *Alfonsum* autem vsque
 adeò irroboraui, vt præ arrogantia, sibi ascriberet, quidquid vs-
 piam à Duce illius vllò, vel milite fuerat egregiè gestum. Nimirum,
 teste Aristotele, *de se ipso sapius loqui, prædicare, polliceriq; multa alie-*
na quoq; benefacta asserere, & vendicare sibi, arrogantia est, quo vitio *Al-*
fonsus maiora sibi vendicans, quàm quæ ei inerant, laborauit. 8.
 Quin inuidiâ stimulatus, dolebat, si quid præclarum ab alijs factū
 audiret

De Cratete
 Laert. l. 5. c. 6.

S. Augustin.
 l. 2. Confess.
 cap. 3.

Aristot. l. 2.
 Rhetor. c. 7.

atque

A

audiret prædicari, eorum consilia carpens, & dicitur facinora insignia deprimens. Quo vitio, refert Curtius, etiam Alexandrum M. cum audisset, Agim regem Lacedæmoniorum rebellantem ab Antipatro victum, tacite indignatum esse, arbitrantem suæ gloriæ detractum, quidquid accreuisset alienæ. Laudem igitur omnem *Alfonso*, vt ad se traheret, quidquid pulchri in bello factum erat, affirmabat, suo consilio & decreto factum: si quis autem casus tristis, si clades, si conflictus imprudens accidisset, aliorum ascribebat temeritati. Ita multi innocentes atq; egregie cordati, & laude merita priuabantur, & de virtute in calumniam veniebant. Denique de eo verum erat, quod S. Basilius scripsit: *Superbus, etsi decorus videatur aspectu, tamen inutilem eum manifestant opera ipsius, & per incessum, & motus dignoscitur eius superbia, & ex verbis publicatur eius lenitas. Cupit semper laudari ab hominibus, & virtutibus, a quibus est alienus, se prædicari gestit. Non se patitur cuiquam esse subiectum, sed semper primatum cupit, & ad maiorem gradum emergere. Et, quod ex meritis non potest, ambiendo festinat obtinere. Ambulat semper tumens, vt uter vacuum, & vt nauis gubernatore destituta a fluctibus iactatur huc & illuc.*

S. Basil. in
admonit. ad
filium spiri-
tual.

Quod planè *Alfonso* euenit. Nam, quia odibilis coram Deo est, & hominibus superbia, clareque is, qui *superbis* resistit, per Sophoniam minuitur: *Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur, cœpit, diuina Nemese gladium stringente, fortuna eius mutari, & vnum malum illi super alterum accumulari.* 1. *Leuisidus* rex Granatæ, munitus valido auxilio Maurorum Africa, foedus, quod cum *Alfonso* pepigerat, ex improviso rupit; plurimæque castra ac munitiones regni Murtiæ illi eripuit. 2. Ciuitatem de Xericio, in Batica, obsedit, illamque & arcem illius varijs machinis expugnatam occupauit, ac Gomecium præcipuæ virtutis ducem cepit. 3. Cum oppidum de Niebla, in Wandaliâ, per Sarracenos diu occupatum, mensibus decem obsedisset, immisit Deus, velut in nouum Pharaonem, in castra *Alfonso* innumera mortiferarum muscarum agmina, quæ virulentæ, quia vndique in cibos inuolauerunt, velut visco inhaerentes, cum cibis exitiosè commanducabantur. *Ex qua re omnes ferè de castris ventris fluxum, quem dysenteriam vocant, incurrerunt, plurimiq; moriebantur.* 4. *Dionysio* Portugaliæ regis filio, nepoti suo,

V.
ALFONSI IM-
FELICITAS.
Eccli. 10. 7.
Iac. 4. 6.
Sophron. 1. 9.

suo, iuueni, se Hispali comiter visitanti, non sine prodigalitate condonauit tributum, quod regibus Castellæ & Legionis pendere Portugaliæ reges, antiquo iam more, obstringebantur. In qua re summi sanè momenti vnus militis suusum secutus Nunij de Larâ, viri nobilissimi ac prudētissimi, in concilio fortissimè obfistentis sapientem sententiam, cum indignatione, & verbis indecentibus reiecit. Quod vbi cereri viderunt consiliarij, regis offensam odiumque meruentes, pedibus in eius sententiam iuerunt: non tam regi, aut regno, quàm sibi consulentes. Hæc res magnis dissidijs initium dedit. Nam & Nunius, eâdem horâ, nec obtentâ, nec petitâ regis licentiâ, discessit. Qui post se satraparum tria millia traxit, omnes à fide & obedientia *Alfonsi* vnâ discedentes. Ad hos missâ legatione, vbi causam discessûs interrogauit; responderunt: *Volumus restaurare regnum, & restituere, sicut erat antea.* Mox regi Granatæ se junxerunt, bellumque acerbum pariter, contra *Alfonsum*, excitârunt, ac diuturnum. Nimirum *regnum à gente in gentem transfertur, propter iniustitias & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* 5. Ab Electoribus cùm & suffragium, & spem coronæ Imperatoriæ potiundæ accepisset, cogitationibus maximis pelnus, ingenti apparatu, gaudioque se in viam dedit. O spes humanas! ô miseri mortales, quò curritis, quid vos ipsos lactatis? cur magnos vobis honores promittitis? sæpe, qua via vos putatis ad honorem tendere, tenditis ad calamitatem. Nec rarò qui ad summum dignitatis gradum, peruenerunt, non iam velut per decliue, sed tanquam è præcipitio deiiciuntur. Sic Dionysius junior, è Syraculano rege, Corinthi factus est ludimoderator. Sic Polycrates Samiorum tyrannus à Cyri præfecto Orate victus, & in patibulum sublatus est. Sic Xerxes ab Artabano, Artabanus ab Artaxerxe occisus; Tarquinius superbus regno pulsus; Iulius Cæsar confossus; Pompeius interfectus, exempla fuerunt fragilis Fortunæ. Sic Marius septies Consul de Iugurtha triumphauit, sed victus à Sylla, triumphatus est à Fortuna, quando in Minturnensium plaudibus & cæno delituit. C. Cotta ante ipsum futuri sui triumphum diem, expirauit. Nempe is, per quem reges regnant, sicut attollit in sublime benè meritos, ita & viam incidit, si videat arrogantes, & tanquam Argium clypeum abstulissent, gloriantes. Quod & in *Alfonso* apparauit. Siquidem, cognito eius fastu,

Ecclesi. 10. 8;

fastu, consilia omnia, suffragiaque in cassum ceciderunt. Verba Authoris sunt: *cum ad Imperium suscipiendum pergeret, cognita eius elatione, Imperij, ne dixerim confirmatione, sed nec possessione potitus est; licet (ut quidam referunt) callide actum est, ut occasione vitandi schismatis in Imperio, Romani Pontificis iussu, iuri Imperij resignare visus esset, idq; egit, apud Belicardum, prope Auenionem. Sic nonnullos duces, sub Aureliano, per ambitionem, imprudenter ad Imperium orbis aspirasse legitimus, nec ad concupitam potestatem deuenere, sed pœnas ambitus luebant. Fuit deniq; Alfonsus & in ceteris rebus infortunatissimus. Nam rediens in Hispaniam, non paruas perpeffus est persecutiones. reperit enim plurimas funestas nouitates. Reperit defunctum Ferdinandum primogenitum: reges, Granatæ, & Bellarmini, in armis: cæfos Santium Infantem Aragoniæ, & Archiepiscopum Toletanum: Wandaliæ & Bæticam magnis cladibus affectas. Denique asserunt, Santium Alfonsum, suum patrem, ex Imperio venientem ad regni gubernationem non admisisse. Ita odibilis, coram Deo est, & hominibus superbia. Et sedes Ducum superbiorum destruxit Deus.*

E quibus Rodericus Santius, episcopali zelo, Reges, Principesque ciuitatum & regnorum iura mutant, & vertice sidera ferire volentes causam primariam bellorum calamitatūque esse clamat; dum enim sana consilia non audiunt; dum quisque, *qua sua sunt, non qua IESV Christi*, quærunt; dum se solos sapere, dum sua omnia iusta, aliorum iniqua esse arbitrantur; dum parasitis & thus aulicum vendentibus delectantur, & adulatoribus vtramq; aurem, doctis probatisque viris neutram præbent, dum de alijs omnibus temerè suspicantur, acerbè iudicant, sinistrè loquuntur; dum se non supra humana duntaxat, sed etiam diuina efferunt; velut gigantes Pelion Ossiæ imponentes, aut turrim Babel ædificantes, deiici de gradu merentur. Et quia magni (ut magnæ arbores è monte cadentes) multa secum trahunt, ideò populis quoque inducunt calamitatem. *Luxit, & defluxit terra*, ait Dominus, *& infirmata est, defluxit orbis: infirmata est altitudo populi terra. Et terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternū. Propter hoc maledictio vorabit terrā. Ut scui quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo subruunt*, ait S. Chrysostr. *ut & arena cum undis misceatur, sic ambitio &*

Sant. lib. cito
cap. 4.

Eccli. 10. 7.
Eccli. 10. 17.

VI.

ALFONSI
EXEMPLO
CAUSSAE BELLORVM ET CALAMITATVM
OSTENSÆ.
Roder. Sant.
lib. 4. c. 3.

Isa. 14. 4.

S. Chrysostr.

B

turpis

hom. 43. ad
pop. Antioch.

turpis questus animam subeuntos omnia subuertunt. Duo sæpe duces, quibus nequaquam sunt Zopyri talenta, tamen æmulatione honoris, hosti potiùs, quàm æmulo victoriam relinquunt. Nec æmulum tantùm deserunt, & sub cultro relinquunt, sed, ne alter insigni pugna emergat, etiam totos exercitus, totas prouincias sinunt periclitari. Tanti est ambitio; vel falsa fama sanguine emitur mille innocentùm. An Deus non irascatur? an bella non suscitet? an non habeat causam pacis differendæ? Molestissima nobis sunt bella, quia ærumnis ærumnas cumulant, & postquam ad eò diu durarunt, finem non videntur habitura. Hinc pacem optamus, hinc nulli ferè vbique sunt, nisi de milite, de castris, de prælijs, de nouis bellicis sermones. Hinc ignarum vulgus libenter audit, si Principes, si Reges, si Imperator calumniosissimis conuitijs quotidie traducatur; quasi isti ità rem gerant, vt eorum vecordia, ignauia, discordijs, & superbijis omnis temporis nostri calamitas sit attribuenda. ò linguæ! ò cæci iudices! ò impudens audacia! Esto in his videat diuinus oculus, quod puniat; esto non omnes aulae sint sanctæ; esto in quibusdam dormiat iustitia; vigilet ambitio; inuidia regnet; multa fiant, quæ fieri non deberent; num id ad futores in taberna, ad sartores in caupona, ad laniones in macello pertinet iudicare? Quid sutor vltra crepidam, sartor vltra acum, mendicus vltra peram sapit? Quid textor, in hypogæo suo, potest de arcanis regis Gallia, Hispania, Imperatoris censere? Magnum habet discrimen fax & rex. Ad talem proinde meritò ait Christus: *Medice, cura te ipsum.* Et illud: *Quid vides festucam in oculo fratris tui? & trabem in oculo tuo non vides?* Si Principes rem rectè non gerunt (vt tu putas) fortè tu in causa es. Audi Ieremiam. *Annunciate in Iuda, & in Ierusalem auditum facite: loquimini, & canite tuba, in terra: clamate fortiter, & dicite: Congregamini, & ingrediamur ciuitates munitas, leuate signum in Sion. Confortamini, nolite stare, quia malum ego adducam ab Aquilone, è Suecia, & contritionem magnam. Ascendit leo de cubili suo, & prado gentium se leuauit: egressus est, de loco suo, vt ponat terram tuam in solitudinem: ciuitates tue vastabuntur, remanentes absque habitatore. Super hoc accingite vos cilicijs, plangite, & ululate: quia non est auersa ira furoris Domini à nobis. Et erit in die illa, dicit Dominus: Peribit cor regis, & cor principum: & obstupescent sacerdotes,*

Luc. 4. 27.
Matth. 7. 3.

Ierem. 4. 5.

sacerdotes, & Propheta consternabuntur. Propter superbiam itaque & impoenitentiam populi Deus cor regis, & cor principum finit perire. Quanquam & hi ipsi sæpe innocentes, nocentū audacissimis judicijs, linguis, calumnijs appetantur, vt tantò maior sit eorum patientia, quantò ipsi maiores, qui cūm nōrint suos Momos, & Carpos, eōsque, velut impudentes muscas, aut humi repentes vermiculos, obterere vno digito pedis possent, tamen dissimulant, ac leonis instar contemnentis catellorum latratus, surda aure prætereunt.

In proprium igitur sinum inspice tu, ô quisquis es, qui Imperatori, qui Regibus, & Principibus, belli, aliarūque causas miseriarum temerè ascribis. Si enim regis *Alfonsi* superbia ita Deo displicuit, vt, ad illam humiliandam, belli mala aliōsque illi tot calamitatū manipulos immitteret: quid non est facturus, si non vnum, sed multos, sed prope innumeros; si non regem, sed plebem videat odiosissimè superbientem? Siquidem tantò maior est superbia, quantò minor ipse, qui superbit: cūm scriptura dicat. *Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde anima illorum. Pauperem superbū: diuitem mendacem: senem fatuum & insensatum.* Certè nimis vanè superbit, qui nullam habet causam superbiendi. In hoc solo superbia non est superba, quia etiam apud vilissimos non dedignatur esse. Non opus est ergo causas bellorum, apud Principes quærere; in nostro etiam illæ agro crescunt. 1. *Dys non detrabes, & principi populi tui non maledices,* ait. Si ergo *Alfonsus* diuinam sibi iram concitauit, dum subditos superbè censuit, & contempsit, quid, apud Deum non merebuntur, qui Principes spèrunt, quos velut deorum loco habere deberent? 2. Meruit *Alfonsus* bello, & in omnibus rebus esse infelix, quia, cūm magno esset ingenio, consilia respuit aliorum: ah quid non merebuntur simplices, indocti, imprudentissimi, qui mille casibus intricati, non dignantur, vel ipsum Confessarium interrogare? qui monentem, docentem, concionantem rident? qui indignantur, quoties malè fecisse dicuntur? Eò superbia venit, vt serui & ancillæ dominos & dominas; discipuli magistros, liberi parentes ipsos non ampliùs audiant patienter; sed pro vno verbo centum reponant; & verò etiam, se rem præclarè tum gessisse gloriantur. Eò processit rerum diuinarum neglectus,

VII.
ALFONSI SV-
PERBIA CVM
VZGL SVPER-
BIA COLLATA;

Eccli. 25. 30

Exod. 22. 28

vt nec quid credere oporteat etiam adulti sciant, nec interrogent. Quærunt, in via, ex omnibus obuijs, quò sit eundum; & non quærunt, in via æternitatis. Ipsi sibi sunt senatus; ipsi duces, sed cæci.

Luci 18. 12.

3. Olim Pharisæi, & hypocritæ, tanquam superbiæ exemplar narrabantur, qui dicebant: *Ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium, quæ possideo*: & qui alias virtutes vel iactabant, vel dilatabant: iam, hoc cæcissimo seculo, ita peruersa iudicia inualuerunt: vt homines erubescant, si dicantur cilicium gestasse; de Deo, & animæ suæ salute egisse; aut pij fuisse: glorientur autem, si pro atheis, pro blasphemis, pro grassatoribus, pro adulteris, pro magnis potatoribus habeantur. An non hoc est, *Alfonsum* superbiâ superare? an non

Ierem. 4. 8.

hostes mereri & bella, ac impedire pacem? *Super hoc accingite vos cilicijs, plangite & ululate, quia non est auersa ira furoris Domini à nobis*. Auertetur autem, si nos viderit, esse verè humiliatos. Ita enim

2. Paralip. 12.
20

cùm anno quinto regni Roboam ascendisset *Sesac rex Egypti in Ierusalem*, (quia peccauerant Domino) cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum; nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo ex *Egypto* &c. cepissetq; ciuitates munitissimas in *Iuda*, per *Semeiam* Prophetam dixit Dominus: *Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac*. Consternatiq; principes *Israel*, & rex dixerunt: *Iustus est Dominus*. Cumq; vidisset Dominus, quod humiliatus esset, factus est sermo Domini ad *Semeiam*, dicens: *Quia humiliati sunt, non disperdam eos*.

VIII.
SUPERBORVM
DIFFICILIS
CORRECTIO.

Vtinam sic humiliatus esset etiam *Alfonsum*! cui tot plagæ, non alia de causa inflictæ sunt, quàm vt essent medicinæ. Sed, vt in magnis morbis, ipsa pharmaca vertuntur in venena, ita in *Alfonso* castigatio fuit, non emendatio, quidquid huc vsque ei est inflictu. Multi ægroti medicum differunt: sed serò is venit, quando iam anima sub dentibus est. Hinc rectè, *Satyricus* ait: *Veniēti occurrite morbo*. Luctanti cum morte, serò medicina paratur, seraque est in fundo parsimonia. Quanquam, apud Deum, nemo serò agit pœnitentiam, quandocumque illam agit: modò ictus sapiat. Pulsat Deus apud omnes, iuxta illud *Ecce sto ad ostium & pulso*. Qui habent aures audiendi, aperiunt illi ianuam cordis sui. Et intrat, & mansionem apud eos facit. Qui aures occludunt, sicut *aspis* ad incantationem, sponte non audiunt: quare cum milites pulsantem volentes excludunt, & cum ignominia, totas noctes, sub prunia stantem, ante fores

Apoc. 3. 20.

Psal. 57. 5.

te fores relinquunt: vt conqueri meritò diceréque possit: *cincinnati mei pleni sunt guttis noctium.* Sed & ipse cur vicissim eos, cum virginibus fatuis, non excludat? Meritò excluderet, non tamen excludit, nisi gratiam illius excludentes. Quare hoc est malos inter & bonos discrimen, quod inter asperas rupes & terrâ bonæ glebam. Imber cadit & super saxa, & super mollem terram. In saxis nihil, in terra molli multum efficit. Ita diuina sapientes, quandocunque à Deo feriuntur, aut aduersis exercentur, in se ipsos descendunt, & inquirunt, quid in eis diuinus oculus viderit castigatione dignum. Impij autem, & qui in profundum venerunt, neque infamia, neque reprehensione, neque infortunijs, neque morbis ipsis corriguntur. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viam suam: & Peruersi difficile corriguntur.* Dicas illis, quidquid velis; facias, quidquid possis, lapidi loqueris, lapidi facis: oleum & operam perdis. Quod & *Alfonso* accidit, cuius superbia, vt incendium creuit, conscientia callum obduxit, pectus in adamantem obduruit: contempnit monentes, non sensit tangentes, ipsos duritiâ vicit ictus malleorum. Non cuduntur, quæ non molliuntur.

Cant. 5. 2.
Matth. 25.

Prou. 21. 29.
Ecclesi. 1. 15.

PARS SECUNDA.



Vam verè dixit Ecclesiastes? *Initium omnis peccati superbia?* Quamuis enim, si executionem peccati spectemus, & id quod præbet occasionem adimplendi omnia peccati desideria, sint diuitiæ, atque ea propter ab Apostolo, dicatur *radix omnium malorum est cupiditas*; superbia tamen, ordine intentionis, est *initium omnis peccati*: cum finis, in omnibus bonis temporalibus acquirendis sit, vt homo per illa, quandam perfectionem singularem & excellentiam habeat; & ideò, ex hac parte, superbia, quæ est appetitus excellentiæ, ponitur *initium omnis peccati*, vt S. Thomas docet. Superbiæ autem est, vt, qui per eam supra se ipsum indebitè extollitur, nolit vlli superiori, adeòque neque ipsi Deo subijci; atque idcirco potius conetur omnibus dominari, ac subiectos sibi facere; vsque adeò, vt quemadmodum amor Dei descendit vsque ad contemptum sui, ita vicissim amor sui ascendat vsque ad contemptum Dei. Quod in *Alfonso* luculentissimè fuit ostensum. Nam, suo se pede non me-

IX.

Eccl. 10.
SUPERBIÆ
FRUCTVS.
1. Timoth. vlt.

S. Thom. 1.
2. q. 84. a. 2.

S. Aug. 1. 14.
de ciuit. c. vlt.

Capitolin. in
Maximino
Iunior.

ERher. 3. 5.

tiens à iudicij sui nimia æstimatione, ab immodica laudum siti, à contemptu aliorum, eò progressus est, quò vel Ethnici progredi noluerunt; vel, si progressi sunt, graui censurâ digni æstimabantur. Hinc, teste Capitolino, Maximinus iunior, in salutationibus, superbissimus dicebatur, quia senatoribus genua, nonnunquam etiam pedes præbebat osculandos, quod nunquam passus est senior Maximinus, qui dicebat: *Dij prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* Cùm pater plerisque honoratis assurgeret, ille, residebat. Quæ maiestas illi non cessit in gloriam; absentium linguas, præsentium ciconias merebatur. Fuisse eiusdem gradus superbiam etiam in hoc nostro rege Annales memorant. Habebat enim *Alfonsum* fratrem Henricum, Hispaniæ Infantem, qui quia aliquando *Alfonsum* non visus est satis honorasse, quia manum regis noluit osculari, exilio facinus luit, & quidem exilio diuturno: nam toto *Alfonsi* tempore exulauit. Tantæ impatientiæ est superbus. Aded supercilium attollit. Ita repente cornua erigit, & vibrat ad percipiendum. Quia pileus ei non deponitur; quia non assurgitur; quia non aspicitur vultu sereno; ob vnum verbum sinistrè intellectum; ob maleuoli falsam relationem, pugni pruriunt, dentes frendunt, pugio minatur, animus extrema machinatur. Non enim solum pronus est in vindictam, sed etiam nullum scit habere vindictæ modum. Cuius rei documentum illustre est Aman, ante quem, tanquam semideum, cùm non flecteret genua, neque adorare eum vellet Mardocheus, aulici ceteri nunciauerunt Aman. *Quod cùm audisset Aman, & experimento probasset, quòd Mardocheus non flecteret sibi genua, nec se adoraret, iratus est valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardocheum mittere manus suas: audierat enim, quòd esset gentis Iudææ, magisq; voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem.* Quod hodiè que crebrò fit. Sæpe enim, ob vnum dictum patris, filij, & nepotes, & tota familia ex aulis, officijs, regnis excluduntur. Ac, ne sit opus longè ad aulas excurrere, quoties, ob vnus Religiosi iustissimum zelum, homo superbus, totum ordinem vult esse extirpatum? Noluit tolerare hæresin, noluit approbare iniuriosissimum, & pauperibus iniquissimum Pactum, Decretum, inuentum: illicò iubentur omnes exesse, illicò mittuntur ad Garmanantes, & dirissimis imprecationibus vsque in piperis patriam, aut
in.

in Calecut relegantur. Immò non est opus tanta offensione, puer intus & in cute nequam, ob supinam in scholis negligentiam, ob assidua mendacia, ob caninam impudentiam leui brachio cæditur; & casus, iniuriam, tota vita, nequit obliuisci; vbicunque potest, de fama totius religionis detrahit, impeditque omnes eius conatus in salutem animarum excogitatos; neq; veretur medicos suos eius ipsius pestis infamia inficere, qua eum conati sunt liberare; similis Valeriano, qui Ireneum & Abundium martyres in cloacam detruxit, quòd S. Concordiæ corpus inde extaxissent. Sed de hac Alfonsi & imitatorum eius superbia satis.

Aliam audite, & perpendite, an non superbia, ab amore sui, vsque ad contemptum Dei ascendat? Charem Plutarchus refert fuisse quendam, qui in bello Cyrum vulnerauerit, succisâ poplitis venâ. Hic tanta illati vulneris arrogancia exultauit, vt insaniam corriperetur. Insaniunt hoc pacto multi arrogantes. Sed non est hic summus superbiæ gradus. Habet insania fastigium altius. *Non est maius peccatum, quam apostatare à Deo*, ait S. Augustinus, *quod est initium superbia hominis. Et verè iste immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret, quia hoc est ultimum redentibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.* Mæandro fluuio, vt in fabulis est, duo fuere filij, quorum Babys solitus est, vnica tibia canere, Marsyas duabus, Phrygio more. Cùm autem suum vterque chorum haberet, & Babys inscite tractaret tibiam, frater eò insolentiæ elatus est, vt Apollinem quoque præ se contemneret, à quo proinde fuit excoriatus. *Alfonsus* cùm alijs litteris, tum etiam inprimis Astronomicis delectabatur, in quibus adeò profecerat, vt *Astrologus* appellaretur; cuius nomine ac scientia *tabula Alfonsina* & alia Astrologica collectæ circumferantur. Meminisse igitur debuisset illud: *Non gloriatur sapiens in sapientia sua.* Sed gloriæ cupiditas præualuit. Nullæ scientiæ sunt Mathematicis euidentiores: nullæ, nisi intra terminos suos maneat, periculosiores. Hinc, etsi Apostolus dicat, vniuersim, *scientia inflat*; nulla tamen huic vitio magis est obiecta, quàm quæ, quia ortus atque obitus siderum, solis lunæque defectus certò potest prædicere, tandem etiam curiosorum vitio mortalium labitur in vaticinandi ac de liberis hominum negotijs futura enunciandi temeritatem. At Alfonsus, tanquam Hyperidæ discipulus, in astris

non

X:
SUPERBIA
APEX CON-
TEMPTVS DEI

S. Augustin,
in Plat. 19.

Ouid lib. 6.
Metam. fab. 3

Terem. 9. 23.
1. Cor. 1. 31.

1. Cor. 8. 1.

Theocrit. in Thalia. non mansit, sed ut in proverbio est, Oromedontis iugum adnitens superare, supra ipsa etiâ altra se se efferens illum imitatus est, qui sic ut gemmatus pavo per campos, aut quemadmodum Sybaritæ per plateas, & prorsus Iunonium ingrediens dixit: *In calum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendum super altitudinē nubium, similis ero Altissimo.* An non hoc est, *Maiores pennas nido extendisse?* Fecerunt & homines istud. Nam Caius princeps se ipsum inter Diuos retulit, & *Iouis maximi* nomine statuas erigi sibi imperavit. Sapor rex Persarum, teste Herodoto, vocavit se *regem regum, participem siderum, fratrem solis & lune.* Salmoneus tonitrua mentitus est, ut divinitatis opinionem sibi vendicaret. *Primus*, inquit Eusebius, *Domitianus Dominum se, & Deum appellari iussit.* Nunc & sutores propemodum *Domini* esse volunt; magnates etiam propemodum cupiunt pro dijs haberi. Menecrates quoque medicus, quos sanauerat, iubebat sibi *Iouis* nomen dare. Sic mortales se Deo immortalis æquauerunt. An non inordinatus est propriæ excellentiæ amor, velle ita excellere, ut iuxta Deum sedeas, atque Deo ipsi similis videaris? Potestne superbia esse maior, detestabilior, & magis à natura abhorrens? Potest. Nam ipse etiam diabolus in superbia proficit. Olim voluit esse similis Altissimo; iam etiam super ipsum vult Altissimum ascendere, & Altissimo altior esse: immo sibi Altissimum subijcere, & eò adigere, ut ante tam superbum spiritum supplex prosternatur; ait enim: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* In hunc apicem emergit superbia: ut creatura à Creatore velit adorari. Diabolica hæc est superbia, inquires. Planè diabolica, sed etiam hæc est in homines deriuata, nec tantum in Antichristo invenienda, sed etiam in *Alfonso* rege inuenta. Neque enim tantum, more ceterorum arrogantium, qui se simulant ditiores, doctiores, & fortiores, quàm sint, & ea se facturos promittunt, quæ præstare nequeunt, sed longè supra hos superbiebat. Ut enim Menecratem quædam curationes, quæ illi feliciter cesserant, adeò superbum fecerant, ut se *Iouem* & vocari sineret, & se ipsum vocaret: ita *Alfonsum* fastus supra ipsum Deum extulit. *Hic Alfonso*, ait author, *diuina opera, quæ perfectissima sunt, & cum summa sapientia, pondere, numero, & mensura creata, indicare & emendare conatus est. ore enim blas-*

blas-

blasphemo dicebat palam. Si à principio creationis humana Dei altissimi consilio interfuisset, nonnulla melius ordinatiuſq; condita fuisset. O vana, ô funesta, ô superba atque inutilia verba! Non sic David sentiebat dicens: *Mirabilia opera tua, Domine, & quis cognoscet nimis? Et iterum: Quam magnificata sunt opera tua, Domine? omnia in sapientia fecisti. Et sapiens: Omnia opera Dei bona, nec est qui addat. Nam & Redemptoris testimonio, ipse Salomon cum tota sapientia sua, qui cuncta ab hyssopo vsque ad cedrum perseruatus est, minimum Dei opus, nec intelligere, & multò minùs iudicare est ausus, inquam, cum me verterem, ad cogitandum opera Dei, vidi esse afflictionem spiritus, & vanitatem, cum non possit homo illa explicare sermone.*

Ingens igitur, monstrosa, & prorsus diabolica fuit Alfonso superbia; Deo execrabilis, iuxta illud: *Arrogantiam & superbiam, ego detestor: & hominibus despicabilis: cum omnis arrogantia odiosa est,* ait Cicero, *tum illa ingenij atque eloquentia multò molestissima.* Quam vtinam, sicut omnes ex animo, nunc his auditis detestamur, ita etiam non imitemur! *Profectò hoc sic est, ut puto,* ait Comicus, *omnibus nobis, ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.* Nec docti tantùm superbiunt, sed illi quoque, qui ne tria quidem Stephi chori nôrunt, non supra ingenium modò, sed supra naturam quoque sapere se arbitrantur. Sunt, & sunt profectò non pauci, atque vtinam non etiam de præsentibus nonnulli essent, qui Momum agunt, ac supra ipsum se se Deum (quod de Antichristo prædicit Paulus) efferunt, & se ipsâ, diuinâ, increatâ, immensâ sapientiâ existimant esse sapientiores, Dei que opera censent se facturos fuisse meliora. Itaque illa sacrilego iudicio temerare, & stultissima mente quasi emendare conantur, ad modum *Alfonsi*, qui fortè si interrogatus fuisset, in quo emendare voluisset opera Dei, nihil aliud dixisset, quàm quòd hanc stellam in Austrum, illam transposuisset in Aquilonem. At multi longè censent grauiora, & plura, homines verè Bombylij, & Ardeliones. Quoties enim audimus dicentes: *Quare Deus homines condidit, si aliquos voluit damnare? Quare Euam permisit tentari? Quare diabolum non coërcet, ne tot mala mundo inducat? Melius fuisset, si homo peccare non potuisset: si omnia fausta & laeta, & nihil triste fuisset. Ego, si Deus essem, Infernum extinguerem: Confessiones tollerem; Non permetterem, ut homines ieiunijs & alijs corporis*

C

castiga-

XI.

HOMINVM SUPRA DEVM SE
SE EFFERENTIVM
SUPERBIA,
Prou. 8. 13.

2. Thessal. 1. 4
2. Cor. 10. 5.

castigationibus se vexarent: Ego, si Deus essem, ait alius, Ioannem, Paulum, Leonardum non sinerem vivere. Vt quid enim terram occupat? Denique sunt qui putant, sibi à Deo iniuriam fieri, quòd non sint nobilioribus parentibus, & in fortunas ampliores nati: quòd non ingeniosiores, corpore valentiores; quòd curui, manci, lufci, calculosi, aut alio genere morborum ægroti: alij mallent esse longiores, alij breuiores: alij vellent sibi barbam datam, aljs sua barba, alijs aliud non placet: voluissent prius se à Deo interrogatos, & consultos, qualem formam vellent habere. Denique quoties tristamur nimis, quòd victum nostrum exercitum audiamus, aut quòd non omnia succedant, iuxta nostram voluntatem? &c. Nonne hoc est dicere: *Si à principio creationis humana Dei altissimi consilio interfuissem, nonnulla melius ordinatiusq; condita fuissent?* Nonne hoc est supra astra Dei conscendere? Nonne hoc est se exaltare, & mereri humiliationem? vt cum Lucifero ruant, qui cum Lucifero cristas erexerunt? Nonne meritò, Angeli, dum hæc audiunt, dicunt: *disperge superbos, in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humiliat?* Et, si vultis audire scelerum extrema, putatis, solum diabolium velle, vt Christus *cadens adoret eum?* Etiam hodie homines tam insolentes, & impudentes inueniuntur. Quid? an non dicere audent? immo, quod plus est, reipsa volunt, vt non illi Dominũ, sed vt Dominus ipsos adoret? Vultis, vt digito eos demonstrarem? Vos ipsi eos potestis cognoscere, palam illos videtis. Numquid templum factum est, vt in illo Christum, in SS. Eucharistia præsentem, adoremus? At sunt, qui ad templum eunt, in quo, quasi nihil haberent, pro venia peccatorum, pro gratia hac & illa, pro parentibus & amicis, exorandum, in templo non solum, sine omni sensu, sine omni pietate stant, vt statua & saxa, verum etiam, qui ibi manibus nugantur, linguis fabulantur, oculis libidinantur. Itaque templũ illis debet seruire, non Deo: immo Deus debet ipse officia, sacra, vesperas in templis ad suum honorem institutas pati, vt à se transferantur, & talibus templorum violatoribus, ad aspectus impuros, ad sacrilegè garriendum, ad nescio quæ infanda cogitanda, sint locus, & occasio, seruiantque volentibus peccare. Lustra alij, & lupanaria adeunt, qui talia meditantur, isti templa, non iam Numinis, sed Veneris gymnasia. Quid dico? ipse tunc præsens Deus, debet

Iob. 40. 6.

Iob. 40. 6.

bet istorum esse auditor, & quasi ibi non jam caelestes aquilæ, ad diuinum illius corpus, in SS. Eucharistia, adorandum, sed corui ad strebularum carnes deuorandas congregarentur. Neque hoc semel fit duntaxat, sed sæpe, sed à quibusdam semper, vt & de *Alfonso* scribitur, eum blasphema illa sua verba sæpe repetiuisse.

Quid rex faceret mancipio, à quo videret, rebellionem excitatam, se de throno deiici, purpura atque sceptro exui, regno spoliari? Nihil simile moliebatur Saulo Dauid, sed quia eum æmulum suum esse putabat, quot non modis eum est persecutus? Quare, cum, more gigantum Iouem de cælo deripere conantium, superbi Deum ipsum oppugnent, Deus alioqui mitissimus, & ad veniam paratissimus seuerissimè, *superbis resistit*. Quod statim fecit ab initio, cum Luciferum Angelorum omnium pulcherrimum è summo cælo, ad ima Tartara deiecit. Quid faciet homini superbia & arrogantia, Luciferum ipsum superanti? Heraclius Græcorum Imperator receperat crucem à Cosroe Persarum rege, perpetuæ pacis pignus, in qua Redemptor humani generis Christus pependerit, eamque Hierosolymis magnifica pompa inferre parabat. Ergo habitu Imperatorio crucem humero baiulans ad vrbs portam peruenit, sed in vestigio consistens, diuina vi cohibitus pedem nusquam mouere potuit. Proin admonitus à Patriarcha, vt vili habitu, nudisque pedibus gestaret crucem eius Seruatoris, qui nudus pro nostra omnium salute cruci affixus esset; statim abiectâ purpurâ, sumtòque sacco, ac nudis pedibus crucem potuit sustinere, promouere gressum, & tendere quò volebat. Huius facti memoria solenniter quarta decima Septembris celebratur. Hoc est, quod S. Petrus, & S. Iacobus pronunciant: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Vt enim Heraclio superbe, & more duntaxat imperatorio incedenti, vrbs Hierosolymitanam ingredi non licuit, quæ vili habitu ac nudis pedibus crucem baiulanti aperta atque peruia fuit: ita tumentibus animis non patent cæli portæ, nimis angustæ ansatis hominibus, & qui phylacteria sua dilatant, cum tot fimbrijs, & paludamentis venientes. Alij, qui nôrunt, quàm arcta sit via, etiam centones abijciunt, vt nudi nudum Christum sequantur. Illuc Epulo diues, ventriosus, purpurâ indutus non potuit ingredi, Lazarus autem fame & macie extenuatus, nec saccos pecuniarum secum fe-

XII.

SVPERBORVM
DAMNA, ET
HVMILIVM LY-
CRA.

1. Petr. 5. 5.
Iac. 4. 6.

Egnat. lib. 1.
c. 6. & Bonifacius
I. 8. dec. 6.

Luc. 16. 23.

rens, utpote mendicus etiam ab Angelis eò est portatus, facilem habuit sine sarcinis ingressum. Hanc ob causam tot insignes ingenio, nobilitate, diuitijs iuuenes, abiectis vestibus pretiosis, sacco induerunt, & relictis diuitiarum impedimentis, per angustam coeli portam, nudi atque omnibus oneribus liberi intrare maluerunt, quàm cum lato clauo, bullati, & torquati, & chlamydati, mitti in gehennam. Qui fructus est timoris.

XIII.
DEVS VEL
HOSTEM SVVM
ALFONSVM
MONENS.

S. Augustin.
de catechi-
zant, rudi-
bus.

Sed longè maior fructus est amoris. Quid enim non velle facere par est hominem, qui vel micam in se habet rationis, si videat, Deum etiam istos ipsos humanos Luciferos, à quibus tam proteruè contemnitur, superbè ridetur, & quodammodo potestate sua auctoritateque plusquam sacrilegè priuatur, adhuc non contemnere, neque deserere, sed ad pœnitentiam vocare, & inuitare? *Magna est miseria superbus homo*, ait S. Augustinus, *sed maior misericordia humilis Deus*. Audite, quid *Alfonso* tam sacrilegè impio acciderit. Miles erat, in aula regis, *Petrus Martini de Pampliega*. Hic, præter communem militum morem, ita modestus in verbis: in opere castus: in poculis temperans, in colendo Deo frequens, ab omni blasphemia & rapina abstinens erat, ut in castris facere id, quod Religiosi in claustris, diceretur. Ob hos mores è militiâ euocatus est ad aulam, & curam Infantis Manuelis gerendam, cuius instructor fuit adeò eximius, ut eum linguâ & vitâ, doctrinâ & moribus erudiret, neque ob indulgentiâ socordiam Dei iudicium timeret. Huic ergo aliquando dormienti, iuuenis cœlestis elegantiae apparuit, cuius vestis non calcata niue candidior, & vultus ipso splendidior Hespero, nocturnas tenebras clarissimè illustrauerat. Hic iuuenis coram assistens ei dixit: *latam esse, in diuino consistorio, contra regem Alfonsum, sententiam, ut exheredatus moriatur, sed & crudeli morte, nisi pœniteat*. Exterritus hoc viso & dicto miles causam quæsiuit: cui Angelus respondit, *blasphemiam Alfonsi, vanamq; temeritatem diuina opera corrigere molientis id meruisse*. Et mandatum adiecit, *ut ad regem accederet, eumq; ad pœnitentiam hortaretur*.

XIV.
IMMENSE DEI
MISERICOR-
DIA.

Intelligitis, quanta sit bonitas Dei, in flagitiosissimis etiam peccatoribus ad pœnitentiam vocandis? Vix credere potest tantam Dei patientiam, qui nescit quanta sit eius erga homines dilectio. *Incredibilis est vis amoris, si potentia coniungatur*, ait S. Gregorius

Nazianze-

Nazianzenus. Cum autem & amor, & potentia Dei sint infinita, fit vt immensa eius charitas illum perducatur ad hominum salutem quærendam & procurandam, per media, quæ non nisi infinita sapientia excogitare, nec nisi omnipotentia exequi potest. Quid mirum, si Deus Angelum ad militem, militem ad *Alfonsum* misit? Si ipse natura inuisibilis, homo visibilis fieri voluit, vt peccatores vocaret, vt velut *bonus pastor* ouem perditam in humeros imponeret, atque ad reliquum, in cælo, Angelorum gregem portaret? Quanta autem diligentia, quot laboribus, per quot tormenta nos quæsiuit, totos triginta tres annos circumiens, noctes orando, dies concionando consumens, & cum hominibus conuersando? quos beneficijs, & miraculis ad se pertraxit; pro quibus, in gratiarum actionem, est crucifixus. Et tamen etiam crucifixus, pro crucifixoribus orauit. Hoc fecit in terris præsens. Postquam in cælos ascendit, Apostolos, Euangelistas, Doctores misit; & mittit quotidie alios aliósq; exhortatores, immò, vt ait S. Prosper, *unumquemque hominem varijs modis vocat*. Aliquando, inquit S. Gregorius, *eos vocat per seipsum, aliquando per Angelos, & interdum per homines suos ministros*. Verèque scripsit S. Augustinus, quemcunq; ad Deum conuersum *trahi miris modis*. Quàm enim mirabilis fuit ille modus, vt Petrum Martini de Pampliega ad *Alfonsum*? militem ad regem mitteret? Non est alioqui militum de pœnitentia concionari. Sed hac ipsa de causa tantò debuit eius esse efficacior oratio, quantò insolita magis solent percellere.

Negari non potest, milites sanguini ac cædibus assuetos sæpe numero esse à pietate alienos, nec enim Maro eos vocat tantum *barbaros*, verum impios quoque dum ait:

Impius hæc, tam culta noualia, miles habebit?

Barbarus hæc segetes?

Sed temerè iudicat, qui id de omnibus censet. Multi etiam eorum de salute sua solliciti sunt, multi æquè pro Deo, ac pro domino, cui iurârunt, pugnant, aliósq; monent, vt à blasphemijs, ac rapinis, aut impietate desistant. Quare etiam hic miles *Petrus de Pampliega*, angelo paruit, atque nullâ morâ interpositâ, ad Regem *Alfonsum* Burgis commorantem adiit, petitq; audientia, id quod viderat audieratq; imperterrita voce liberè exposuit, regem seriò commo-

S. Gregorius Nazianz. in vita sua, quæ ipse scripsit carmine.

Luc. 5. 32.
Matth. 18. 12.

S Prosper l. 2.
de vocat.
Gent. c. 62.
S Greg. hom. 36. in Euang.
S. Augustin.
l. 1. contr duas
epist. Pelag.
cap. 29.

XV.
MILITVM PIETAS, ET DV-
RITIA PRIN-
CIPVM QVO-
RVNDAM.
Virgil. Eclog.
I.

Famian. Stra-
da lib. 1. hist.
Belg.

Prou. 21. 29.

Nicet. Aco-
minat. Cho-
niata lib. 1.
hist. in An-
dron. Comn.
num. 11.

XVI.

OBSTINATO-
RVM MISERIA.
Matth. 21. 33.

nens, vt tam vecors dictum, ex animo, & cum debita pœnitentia, retractaret. Carolum V. aiunt, vel aliorum à quodam milite missionem perente, dicentēque, tempus esse iam non de hostium, sed de sua morte cogitandi, relatā recessus huius causam, sibi in documentum rapuisse. At *Alfonsus*, cui *robur & es triplex circa pectus erat*, ita *præualuit in vanitate sua*, vt militem, ab Angelo, ad se missum & derisui haberet, & à se, cum dicitur expelleret, identidem sacrilega illa repetens: *Si tempore creationis humana interfuisset, plurima melius ordinari potuisset.* Ah magni domini, quàm magnis in periculis estis, si mali estis? alij, si peccant, puniri possunt, & corrigi auctoritate; vos quoties ne admonitiones quidem sustinetis? Et vos etiam, quicumque in peccatis & consuetudine mala induruiſtis, sicuti similes estis, non spongiæ; hæc enim aquam superfusam imbibit; ille in interiora non admittit. Hoc est, quod Salomon ait: *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viam suam.* Quod sæpe fit, in vna concione, dum alius recedit compunctus; alius totus durus, quasi ad se nihil pertinuiſset eorum, quæ dicebantur; & plerunque illi ipsi, qui maximè medicina indigerent, eam sibi minimè solent applicare. Lapidem sunt, cor Riphæis saxi durius circumportant. Nec Deum audiunt, nec à Deo missos; sicut idola, quæ *aures habent, & non audiunt; oculos, & non vident.* Hinc magni in mundo errores, & grandia Principum peccata, quorum rugas & vultum, quorum impatientem superbiâ, quorum minas & indignationem dum plerique metuunt, ex animi sui sententia consulere non audent. *Andronicus Imp. Dyspatum Georgium, magni templi lectorem, propterea quòd de Imperatoris sanctia liberius questus esset, in carcerem coniectum, in animo habuit, verubus transfixum & pinguem hominem instar porcelli supra carbonem assatum, uxori eius, haud scio in quo vase (amplum id utique esse oportuisset) mittere.* Quis tales admoneat? cum non solum id agat, quod qui Æthiopem lauat; verum etiam fulmen se ambire intelligat, meritoque dicere possit: *Procul à Ioue.* Qui humanum consilium omne contemnant, diuino iudicio sunt relinquendi.

Quid autem talibus faciat Deus? id quod *paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & edificauit turrin, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cùm autem*

autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius. Et agricola, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, aliū verò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter, &c. Cum ergo venerit dominus vinea, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet. An non hoc & Alfonso facere debuisset iratus Deus? Sed videte infinitā illius patientiam & immensam bonitatem, atque obstupescite. Post eliminatū à se militem, Alfonso, non multis elapsis diebus, Segobiæ versabatur. Ibi non procul degebat notissimæ sanctitatis Eremita, cui itidem se stitit Angelus, & ipsdem, quæ militi dixerat, repetitis, iussit eum ad regem ire, ac vel misericordiam, vel iram diuinam denunciare. Eremita, quanto maiore animarum zelo ardebat, tanto celerabat festinantiùs, tantòque calidiùs regem liberiùsq; commouit, vt tandem seriam de peccatis suis, præsertimque de tam damnatis sacrilegisque verbis pœnitentiam ageret, vel certò diuinam ultionem expectaret. Eremitæ verbis omnia pondus addebant: nomen, vita, fama, pallidus & macie ieiunijsque contractus vultus; oculi, gestus, modestiâque incessus pietatem spirantes: denique ipsa reuelatio, qua sola, in siluis, & ab omni hominum consortio remotus blasphemiam Alfonso intellexit. Et accedebat modus eum ad pœnitentiam vocandi. Nam, vt S. Thomas de Aquino docet, quemadmodum homo duabus partibus constat, externā vnâ eaque visibili, corpore; & interna ac inuisibili, nempe anima & Deus iam vocatione interna, iam externa vocat peccatores. Externā, per socios, per magistros, per confessarios, per conciliatores, per libros pios, & per mille occasiones. Hac vocatione vsus est, cum Alfonso militem, cum Eremitam misit. Nemo hominum alterum facile secundò ad conuiuium inuitat, haud obscure contentus & repulsam passus in inuitatione prima. Et tamen Deus hunc tam sibi rebellem atque aduersum regem, jam antè per alia aduersa, belli que tristes casus, & per militem generosè pium frustra adhortatus, spretusque nondum à vocando destitit, sed etiam per Eremitæ verba salutem illius constantissimè quæsiuit. In parabola, noctu veniens & tres panes petens, quia pulsando perseverauit, ipsa petendi assiduitate obtinuit, quidquid voluit. O quàm Deus est vigilans? quàm in pulando perseverans? quàm mirificat misericordias

S. Thom.
lect. 6. in c. 3.
ad Rom.

Luc. 11. 18.

Psal. 16. 7.

cordias

cordias suas? & nihil obtinet? Verè certat eius bonitas cum malitia hominū: immò hominū quoq; malitia cum eius bonitate. *Si quid in vitres velis infundere boni*, ait Plutarchus, *ventum atque aërem amoneas oportet. Sic fastum ac tumorem eximas oportet ab animo eius, quem velis docere.* Non ergo admittitur sapientia, vbi superbia sedem tenet. Itaque etiam hac vice, ait author, *quia scriptum est, in vanitate cordis sui comprehenditur peccator, Rex ipse Alfonsus, ut alter Senacherib, in blasphemia perstitit; & ut alter Nabuchodonosor confirmatus est ad superbiam. Quare, testante scriptura, cecidit de solio suo, & gloria eius ablata est. Eremitam igitur rex toruo iratoq; vultu contempsit, & ut insipientem abire iussit, iterum verba illa nefanda repetens; Holofernem imitatus Achior increpantem, quia soli Deo potentiam attribuebat.* Quid putatis tunc optimo Eremitæ animi fuisse? cui, præ diuini honoris, & animarum Zelo, cor propemodum diruptum fuisset? Sed fecit, quod plurimi hodieque facere coguntur Confessarij, ac Patres spirituales, qui, pro dolor! nimis sæpe, frustra suos (spiritualesne dicam, an filios Belial?) admonent, & vident eos induratos, ac in reprobum sensum datos, nec secus ac si in cribrum aqua infunderetur, ita transmittere illico per vnam aurem, quod per alteram intrauit; & esse, velut omni amoris diuini calore extincto, glaciatos, quos nullis iaculis amoris, nullis beneficijs, nullis donis, nullis admonitionibus potest sermo pius fauciare, aut emollire. O miseri iuuenes! ô somnolenti senes peccatores! ô animæ sanguine Christi redemptæ! quot pro vobis lachrymæ, quot suspiria funduntur frustra? & vos Sardorum more, in vestro exitio ridetis? scilas vobis è cœlo porrectas non aspicitis, aut si iam vnum alterumue gradum conscendistis, retrahi vos, à quouis socio, repelli ab exigua voluptatula finitis, sponte eligentes esse infelices. Nemo dicat: *Diuus sum, & locupletatus, & nullius egeo: nemo dicat:*

Apoc. 3. 17.

Ouid. lib. 6.
Metam.*Sum felix, quis enim neget hoc? felixq; manebo:**Hoc quoque quis dubitet? tutum me copia fecit.**Maior sum, quam cui possit fortuna nocere.*Senec. Herc.
fur. Act. 2.*Sequitur superbos vltor à tergo Deus,*

Sed

Sed non antè vlciscitur, quàm monet. Stat ad ostium & pulsat, vocat vos ad se, ô peccatores, immo ipse intrare vult ad vos. Sed surdos vocat, sed stat & pulsat totas noctes, vt *cincinnati capitis illius sint pleni guttis noctium*. Vos luditis, vos pergitis in vestra vanitate. Moniti non auditis; percussi non sentitis; vobis ipsis sapitis; homines & Deum contemnitis. Nimirum ita est, vt S. Chrysoſtomus dixit. *Nihil arrogantia atque superbia peius, qua mentis quoque vires à natura hominibus concessas, ita deicit, vt amentes ex prudentia, ac animo stolidos efficere videatur. Nam quemadmodum si quis, cum statura cubitus sit, instar montium, immo etiam altiorem se putet, ac ideo se ipsum quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum insania sua quaeremus: sic cum inflatum hominem videris, qui meliorem se ceteris arbitretur, contemniq; opinetur, si ceteris conferatur, nullum aliud signum vercordia hominis exquiras. Tantò quippe ridiculosior is est, qui naturâ insanit, quantò ipse hunc sibi morbum iniecit. Nec hac re solum miser, sed quia in miseria fundum se detrusit, vt nihil sentiat. Quando enim is peccata sua, vt oportet, cognoscet? Quando nimium se delinquere sentiet? Certe quasi vile mancipium, & miserum captiuum diabolus eum abduxit, agitatz mille verberibus, & contumelys, quocunq; velit. Itaque surdas talis aures habet ad vocem Domini; pectore faxeo nullum diuinæ gratiæ semen admittit. Quid igitur; ô filij hominum? Usquequo diligitis vanitatem & queritis mendacium? Vt membrum turgidum ac tumidum vitiosè se habet: ita inflatus animus & tumens in vitio est.* Super humiles spiritus sanctus requiescit, non super eos, qui ventosa gloria, & spiritu superbiæ pleni, locum non faciunt Domino intrare cupienti.

S. Chrysoſt.
hom. 59. in
Matth.

Cic. lib. 3.
Tuscul. 99.

Quid mirum, si toties exclusus, toties reiectus, toties iniurijs vestris irritatus iustissimè Deus, tandem iustitiæ suæ gladium euaginet? si acutas potentia suæ sagittas stringat? si mille fulmina expediat in capita tam obstinata? Quòd sanè in *Alfonsum* dudum facere potuisset. Enimuerò & fecit. Nec diu postea ampliùs distulit. Eadem ipsâ nocte cælum nubes contraxerunt, & tenebris conduplicatis, cœperunt venti fremere, & spiritus procellarum horribilem minari tempestatem. Multi sibi de scelere conscij, cœlo irascente, contremiscunt; & ad omnia fulgura pallent. Multi sibi sancti videntur, si tonitrua possunt contemnere. *Fuerit autem quispiam insanus*

XVII.
IMMENSE NUN-
MINIS MISE-
RICORDIA.

Aristot. lib. 3.

D

ac doloris

- Moral. Nicomach,** ac doloris sensu vacans, si nihil metuat, neque terre concussiones, neque fluctus, quemadmodum de Celtis predicant, ait Aristoteles. Ad eiusce modi insaniam peruenit *Alfonsus*, qui sibi videbatur supra Deum esse, etiam nubes animo ac ceruice excedebat, nihilique faciebat insolitos fremores, & alias super alias tempestates, ac coruscationes exortas. Itaque in lectum, non modò ab afflatu, sed etiam à metu securus, se recipiebat. Meministis, coortis olim frementibus procellis, Ionam dormiuisse? Ita peccator, *cùm in profundum venit, contemnit, & tanquam Martis pullus dormit, inter ipsa pericula, nesciens se periclitari. Quid facis, ô miser, expergiscere? Sed non potest peccator ex hoc somno surgere, nisi gratia diuina fortiter excitante. Magna indiget excitatione, qui in lethargo demersus*
- Prou. 18. 3.** parum differt à mortuo. Igitur dormiente *Alfonso*, facta est *multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, vox tonitru in rota, quasi curru per saxa strepente, illuxerunt coruscationes orbi terra, commota est, & contremuit terra; adeò vt cœlum ipsum cadere videretur. Hunc motum excitat cœlum, cum concionatur. Excitatus corpore, non motus est mente Alfonsus. Feri, ô Domine, feri tam diu tergiuersantem, percutè ô iudex, tam durum adamantem? An non meruisset? An non nos homines id fecissemus? At mitissimus Deus, qui Saulum circumfulsit, vt cadens in terram Christum agnosceret, etiam hîc fulgure ipso die clariore intermicantes nubes cum ingenti tonitru dirumpens, vno ictu, & maiestatem suam ostendit, & demonstrauit bonitatem. Nam, *rubente dextera, fulmen iecit; iecit autem in regia tecta; iecit in ipsum Alfonsi cubiculum; iecit tamen non in caput, sed in vestes duntaxat regis & reginæ, quas, momento temporis, in cineres redegit, detestando foetore post se relicto. Hac demum admonitione excitatus è peccati veterno Alfonsus, qui minimo minùs basilicè periisset, exiliit è lecto, & attonitus, ac vix loqui valens, per aduolantes jam vltro famulos custodesq; regios, iussit expulsus paulo priùs Eremitam extemplo ad se reuocari. Adeò magnus erat imber, adeò grauis tempestas, vt nullus pedem domo efferre auderet; & mora regi tantò erat molestior, quantò magis timebat, ne proximus quisque fulminis ictus ad se pertineret. Adfuit tamen tandem Eremita, qui regi sibi ad genua accidenti, & dicenti: *Ego sum, qui peccami, respondit: Quis posuit in visceribus***

visceribus tuis sapientiam? nunquid consiliarius Altissimi tu es? & alia, quæ tempus suggessit. Quibus rex, simul & meru instantis mortis, motus: cum magno animi mœrore confessus est, & publicè verba nefanda retractauit. Hic mihi vim magnam pœnitentiæ perpendite. Crecebat in pœnitente dolor, oculi lachrymas, pectus suspiria, os superbiam suam accusantia verba fundebant; genua humi fundebantur: palmæ pectus plangebant; totus rex in luctum erat resolutus. Quàm verum est oraculum D. Augustini ita scribentis: *Audio deo dicere, superbis utile esse cadere in aliquod apertum & manifestum peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus displicuit, quando fleuit; quam sibi placuit, quando presumpsit. Hoc dicit sacer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Itaque & Alfonso grandem superbiam ardenti pœnitentia luit, calidis lachrymis eluit. Quæ quid apud Deum valeant, vel in ipsa quoque ostensum est tempestate. Dum enim ipse inciperet animo conteri, incipiebat cessare tempestas; & quantò ipse altiùs ingemiscebat, tantò semper magis cœlum tranquillabatur: nec ipse antè à fletu & eiulatu desisteat, quàm procellosa cœli rabies penitus conquiesceret. Ita Deo, sibi, sed nunquam ampliùs regno redditus, vsque ad mortem pœnitens perseuerauit; quam & piè Hispali, obiit, veniã obtentã, nunquam eam obtenturus, nisi Deum tam misericordem haberemus.

S. Augustin.
lib. 14. de ciuit.

Ite enim, mortales, & bonitatem Dei, cum superbiã, malitiã, & obstinatione vestra comparate. 1. Afficit vos ille innumeris quotidie beneficijs; vos, quos tanquam luporum catulos alit, illum quotidie afficitis innumeris tam benè meritum iniurijs. 2. Est in illo infinita sapientia; & huic se stulticia vestra audet anteferre? 3. Benedicit ille vobis; vos mille blasphemias & maledictiones in cœlum iactatis. 4. Immittit ille aduersa, vt corrigat; vos ipsa castigatione euaditis deteriores. 5. Monet per morbos, per infamias, per clades bellicas, per mortes aliorum; vos hæc omnia nihil ad vos pertinere arbitramini. 6. Mittit ad vos Angelos, mittit homines; monent parentes, monent magistri, monent Confessarij, monent Concionatores; rideris eos, traducitis, eijcitis; sunt fabula mensarum. 7. Quid tandem debet huic vineæ facere Deus? Post tot monitiones, in vna ciuitate tanta crimina perpetrantur, super-

XVIII.
HOMINIS MALITIA CVM
NVMINIS MISERICORDIA
COLLATA.

Isa. 5. 4.

Ma. 58. 1.

Matth. 25. 41.

biâ, ebrietatis, blasphemiarum, luxuriarum, vt mirum non esset, si, ob illa sola, totum Mundum perderet iustus iudex. Quid ergo miramur, si è cathedra fulminat Ecclesiastes? cui dicitur: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam: & annuncia populo mea scelerum eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Si mihi, si mei similibus contingit, quod Eremitæ contigit; verendum est, ne Deus ad vltima veniat remedia, ne fulmen vibret; ne excindat impietatem; & fortasse jam res in eo est. Nam & sua bellis fulmina esse, Scipiade docuerunt. Nonne audistis tonitrua, nonne fulgura micuerunt? Fulmen vicinum expectatis? Nec illud deerit. Vel per hoc finite à peccatis, à consuetudine mala, vos deterreri, & ad pœnitentiam tandem vnusquisque confugiat. Quântò quisque vehementius de Deo offenso dolebit, tantò citiùs tempestas hæc desæuiet. Quòd si qui sunt ipso *Alfonso* obstinatioris, & neque vestibis suis, & amicis suis, & operibus suis amissis, respiscunt, aut ad pœnitentiam confugiunt, expectent vltimum illud, & omnium terribilissimum fulmen. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

CAPVT II.

QVAM DAMNOSA SIT MORTALIBVS AVARITIA, ET INDVLGENTIA CONFESSARIORVM, IN ITALO

FOENERATORE MONSTRATVR.

I.
HISTORIAE
AVTHORITAS.



IOANNES Lorinus, natione Gallus, annos xvi. natus, Societatem IESV ingressus, ita in virtute ac litteris profecit, vt Philosophiam Romæ, Theologiam & litteras sacras Lutetiæ, Mediolani, Romæ, cum magna laude doceret; Commentarios in Sacram scripturam adeò doctos ederet, vt eum hæretici ipsi de eruditione summo opere commendarent, & recens scriptor Henricus Fitzsimon, in Britannomachia appellaret, *Alterum Longinum, Cassium; legendi assiduitate spirantem quandam Bibliothecam; Ambulans Musæum, & inter scriptores solertissimos accuratissimum.* De cuius pietate complura recenset alius author. Quare magnæ & à virtute, & à scientijs est authoritatis testimonium illius. Quod, in narranda mox historia tres inuenio insignes viros citauisse, Primus fuit Societatis

Philipp. Ale.
gambe in Bi-
bliotheca
scriptor, Soc.
IESV.

Societatis